

36.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRIBUS
PUERPERARUM,
QVAM
AUXILIANTE DEO T. O. MAXIMO
ET
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN REGIA VIADRINA CONSENSU
SUB PRÆSIDIO
DN.JOH.GEORG. à BERGEN,

MEDICINÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS
PUBL. ORDIN. p. t. FACULTATIS MEDICÆ
DECANI,

PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES, INSIGNIA
ET PRIVILEGIA DOTORALIA RITE IMPETRANDI

Ad diem XXVI. Febr. A. MDCC XXXIII.

IN AUDITORIO MAJORI
Publice ventilandam proponit
AUCTOR ET RESPONDENS
FRID. WILHELM. PRÆTORIUS,
Regiomont. Neomarchicus.

ERANCOFURTI AD VIADRUM.
Literis TOBIÆ SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.

DISSERTATIO MEDICARUM MEDICA
DE

REBRIUS
PERPARRUM.

ANALOGIE DICO T. O. MAXIMO

CARTOGRAMA INSTRUMENTUM MEDICE
IN REGIA AUDITORIO CONFERRUS

DYLOGRAPHUS
DYNOMETER
DYLOGRAPHUS
DYLOGRAPHUS
DYLOGRAPHUS
DYLOGRAPHUS

DYLOGRAPHUS
DYLOGRAPHUS
DYLOGRAPHUS
DYLOGRAPHUS
DYLOGRAPHUS
DYLOGRAPHUS



Proœmium.

Morborum omnium, mortale hominum genus infestantium, tertiam propemodum partem febres constituere, Practicorum probatisimi non pauci, idque nec plane absone, dudum pronunciarunt; tam late enim hæc febrilium morborum caterva præ aliis patet, ut Romani jam olim febria publica Fana, in palatio unum, alterum in area Marianorum, tertium in vico longo dicaverint, quibus febrim ad minus nocendum, ceu Deam, colebant, remedia corporibus ægrotorum innexa quævis in illa solicite deferentes; quo scilicet haberent, ad quæ tot misere afflitti,

*Eti, deinceps tuto confugerent. Nec minor adhuc,
nostro hoc ævo harum febrium in omne homi-
minum genus sœvitia est, nulli enim ætati, nulli
sexui parcunt, sanos & robustos aequæ, ac ægrotos
vulneratos ac langvidos promiscue, maxime ve-
ro omnium, puerperas invadunt, quibus quoniam
plus sepius funestæ sunt, & Medicis plurimum
negotii facesunt, pro impetrandis more Aca-
demico honoribus Doctoralibus speciminis In-
auguralis loco brevibus de febribus puerpera-
rum agere constitui. Quod institutum meum,
ut Deus T. O. M. clementer secundet & for-
tunet, est quod ardenterisimis precibus rogo.*



CINIS PLATINI NESCIO. 1710. DEDICAT
CINIS PLATINI NESCIO. 1710. DEDICAT
CINIS PLATINI NESCIO. 1710. DEDICAT
CINIS PLATINI NESCIO. 1710. DEDICAT

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRIBUS PUEPERARUM.

Thesis I.

Febrium puerperarum historiam, genuinam indolem & verum oratum, curandique rationem rite descripturus non male, nec perperam me facturum spero, si quicquid in hoc argumenti genere negotii mihi sumpserim, id a generali febris definitione, veraque indole auspicer, Missa igitur febris etymologia, quam alii a serveo, alii a februis, vel februio, sive purgare, alii a græca voce $\pi\bar{\nu}\rho$, quā Hippocrates in Libris epidemiorum febrim frequentissime expressit, non prorsus incongrue derivarunt, quamque alii de febribus prolixè commentantes, operiosius tradiderunt, febrim non tam ex nudo vocis significatu, quam potius, quid propriè in corpore viventi sit, rectius definiò, nimirum, quod sit præternaturalis velocior & plus minus

A

vehē-

hementior cordis & arteriarum motus, sive pulsus, cum plurimarum in corpore functionum laſione conjunctus, quem unicum & pathognomonicum, sive esentiale, febris signum esse cum Franc. Deleb. Sylvio pronuncio, nullo etiam alio respectu habitu ad alia & oppido varia pulsus vitia; etenim quamvis hæc omnia in multis passim morbis a Medicis distincte satis obſerventur, si deſit prædictarum partium violentior motus, pulsus velocitas, nulla aderit febris. Ubi vero adfuerit, & quidem cum laſione fauitionum, febrim quoque adesse extra dubium erit; Namſi cuiusvis rei natura id est, quo cognito res ipsa, de qua agitur, cognoscitur & ponitur, ſequitur neceſſario velocitatem pulſus febrim conſtituere ejusque naturam abſolvere.

Thes. II.

Est vero prædictarum partium motus præternaturalis, iſque velocior cordis, aliud nihil, quam crebra & validior ejus ſystole, sive contractio; arteriarum autem pulſus auctus, major illarum diaſtole ſive dilatatio, cum validiori ſemper illarum renixu facta, quæ duæ motuum ſpecies cum habitu corporis extero contracto, ſive reſiſtentia ad vafa capillaria conjuncta, veram & formalem febris rationem continent. Etenim in omni febris acceſſu, primo ſcilicet ejus ſtatu, extremerum partium ſentitur horripilatio, partes plus minus frigent, pallent, livent, corrugantur, tremunt, vafa fangivifera contrahuntur, evidenti indicio, hæc omnia

omnia causa cuiusdam stimuli, exteriora contrahentis, fieri, adeoque fluida nimio motu ad interiora cogi, ab organis secretionum & excretionum repelliri, functiones omnium partium turbari, transpirationem intercipi, quæ dum fiunt omnia, necesse est, sanguis ad primum fluidorum fontem & motorem, scilicet Cor, fortius pellatur, cuius diastrotem ex templo augebit, quod fieri iterum nequit sine simultanea cordis systole frequentiori, quæ licet sub febris initio cum arteriarum pulsū semper contractior & ad sensum minor deprehendatur, attamen simul frequentior esse solet.

Thes. III.

Quum vero eodem tempore perseveret solidorum in extremis renitentia, efficit hæc, ut eadem cordis systole sanguinis minus expellatur, unde sequenti momento, quia cor penitus depletum non fuit, plus sanguinis recipit, citiusque hoc stimulus agitatum se evacuare tentat, id quod eodem instanti mire simul promovet, & impellit fluidum nerveum crebriori cordis systole uberiori in cerebello secretum, atque per nervos octavi parisi concitatus ad cor transmissum. Unde necesse est, cordis intendatur systole, fortius sanguis pellatur in arterias annexas; sicque pulsus sensim simul cum cordis motu insigniter invalescat; Quoniam vero non statim tollitur extremorum obex & renixus, auctis usque & usque cordis & arteriarum viribus, fluida majori vi ad exteriora premuntur, intra

A 2

vasa

vasa attrita attenuantur, solvuntur, soluta mutantur, subiguntur, donec sanis liquidis similia facta ad corporis ambitum pulsa, tandem stricturam relaxent, transpirationem restituant, sudores calidos largiter fundant, quibus ipsis, placido sanguinis circuitu sensim redintegrato, viribus vita & naturae saepissime febris feliciter terminatur & universali excretione solvitur. Ubi vero sudorum profluvio, forte ob peculiarem febris indolem causaeque pertinaciam, strictarum partium stimulus non ejicitur, materia morbifica, prava licet qualitate quadam retenta, viribus naturae adhuc integris, a reliquis fluidis separata per varia emunctoria criseos nomine cum euphoria expellitur, febre sic cessante. In aliis subjectis haec mobilis quidem reddita, sed nondum sufficienter cocti, in aliam interdum ruit per metastasis partem, febre durante, & simul alium morbum inferente. Tandem in aliis impetu motuum febrilium fluida nimis alterantur, dissolvuntur, abeunt in statum putredinosum, vasa ultra modum extensa rumpuntur, & febris sic in morbosas, periculi plenas lethiferas evacuationes, haemorrhagias, gangrenam, imo ipsam terminatur mortem. Ergo exitus febris teste experientia, dantur variis, alii scilicet in sanitatem, ita subinde etiam comparati, ut febris, aliis morbis succedens, eodem instar remedii sanet & tollat; alii in morbosam constitutionem corporis, alii tandem in ipsam mortem terminantur.

Thes.

scilicet in sanitatem, ita subinde etiam comparati, ut febris, aliis morbis succedens, eodem instar remedii sanet & tollat; alii in morbosam constitutionem corporis, alii tandem in ipsam mortem terminantur.

Ex præmissa generali hac febris theoria & schemate liquido jam patet, febrim quamlibet affectionem spasticæ indolis esse, eamque in plerisque duplici motus specie, aucta partium scilicet systole, quæ spasmus dicitur, sese manifestare, & quidem una a peripheria corporis ad centrum, altera a centro ad peripheriam tendente. Prima vere morboſa est, liberum sanguinis motum ad colatoria intercipiens; sanguinem ad interiora premendo stases periculosas & subinde plane funestas producens, sub qua etiam febricitantium non pauci moriuntur; altera vero viribus naturæ sucepta salutaris ſæpe evadit, effectu nimirum discussorio & excretorio, materiam febrilem e corpore eliminante, sanguinemque ad æqualem circuitum ſenſum reducente. Quod ipſum luculenter desuper comprobant vagi & spastici dolores cum prima febris invasione omnes fere corporis partes infestantes, febricitantibus valde moleſti; Quin præter hos reliqua febrim quoq; concomitantiasymptomata omnia, quorum genuina origo ex indole spasmī rectissime explicatur idem evineunt. Quibuscum ſi experimenta à Georg. Baglivio instituta, quibus in brutis partes, nervofas, duram matrem, medullam spinalem, aliasque nerveas partes acribus & rodentibus irritando tremorem, horrorem, rigorem, cordis inæqualem motum, verbo, febrim artificiale produxit, rite contuleris, res tota indubia & luce

meridiana clarior erit. *Confer. Celeberr. Frid. Hoffmanni Considerationem Vitæ animalis theoretico prædictum. Dissert. publica illustratam. A. 1731.*

Thes. V.

Porro ex antedictis clare patescit, erroneam esse sententiam illorum, qui febris indolem jam pridem ex vitiis & pravis fluidorum qualitatibus unice derivarunt, eamque vel in totius maslæ sanguineæ fermentatione, vel effervescentia, vel plane putredine, mixtura turbata, peregrini ætheris rapido per sanguinem motu, fluidorum omnium dyscrasia & intemperie, vel spirituum tumultu, meris utique cerebrinis fragmentis, speciose collocarunt, quum autopsia oculariter & apertissime doceat, in quavis febre primum affici, & plurimum pati partes solidas, atque quemlibet partis nervæ stimulum qualis humor latus stagnans, vel materia acris & caustica hærcens esse poterit, adeo saltim exquisitum & validum, ut totum systema nervosum in consensem trahere valeat, vim habere maximam ad febrim inducendam, fluidis reliquis saepè sat bene constitutis, & omni vitio & labe carentibus. Interim non penitus negandum, fluida per febrim plus saepius diversimode consistentiae & craefeos suæ ratione alterari & depravari insigniter, id quod jam thes. præcedenti III. docui.

Thes. VI.

Neque minus ex hac tenus allatis perspicua erit ratio, cur pueræ in primis febribus sint si antque frequentissime obnoxiae; *Quum enim puerum*

perium ipsum meris spasticis & valde dolorificis uteri ventrisq; motibus perficiatur, ipsaque puerperæ non secus considerandæ sint, quam personæ graviter vulneratæ, quibus alias, partim ob dolorum atrocitatem, partim ob ingentem circa partes vulneratas humorum congestionem, stagnationem vel inflammationem, febres sic dictæ vulnerarie familiares admodum esse soleant, ratio in promptu erit, cur multis ex causis puerperæ in febres indolis differentis, leves modo, modo graviores incident, maxime cum puerperarum per plurimæ atrocissimis ute ri post partum torminibus corripiantur, totidem particularibus uteri spasmis, facile per consensum totum nervorum sistema irritantibus, & febries motus post se trahentibus, neque pauciores a neglecto congruo puerperii regimine, aut purgamentorum uteri illegitimo successu hystericam affectionem mere spasticam, imo epilepsiam ægre deinceps curabilem contrahant.

Thes. VII.

Sunt vero hæ puerperarum febres multiplies, & inter se maxime discrepantes, aliæ namque brevioris periodi & ephemerae, sponte ut plurimum cessantes, aliæ typum quotidianæ, aliæ tertianæ, intermittentium per aliquot dies servantes, aliæ continuae acutæ, aliæ putridæ & inflammatoriae aliæ exanthematicæ benignæ vel malignæ, purpura miliaria rubra vel alba, putredinali quasi malignitate stipatae, pro diversitate individuorum & causarum febrim inferentium vel leviori vel graviori varia. Thes.

Quotquot vero puerperis accidunt febres, causarum intuitu, & melius cognoscuntur & ad sequentes non incongrue referri merentur. Vel enim (1) ex vitiis lactis, impeditiori lactis generatione & eruptione, vel urgentiori ad mammas afluxu fiunt, unde speciatim, quæ ab hac causa puerperas invadit, lactea febris vocari consuevit, vel (2) a ciborum quantitate vel qualitate ventriculum gravante nimis, vel offendente prodeunt. vel (3) ex lochiis diminute & parcus quam par est fluentibus, vel plane suppressis, vel simul cum his retentis secundinis oriuntur, vel (4.) ex frigoris improviso contactu & accessu, vel ex aere vel cum potu algido suscepto, inducuntur. vel (5.) denique ab animi gravioribus pathematibus ira, terrore, tristitia, puerperis primis puerperii diebus admodum noxiis, proficiscuntur. Quarum proinde aetiologyam juxta modum recensitarum seriem plenius exponere, & operæ pretium, & mecum nunc partium erit.

Thes. IX.

Febris ergo sic dicta lactea triduo, vel quasi dimidio septenario, a parte plerumque ingruit, cum motu febrii horripilatorio, sensuque mammarum punctorio, ac si fetis interne pungerentur, quæ horroris species aliis accidit cum succedente laevi astu, aliis cum plane nullo, febre sic levem ephemeras mentiente. In tenebris autem subjectis commissso subinde errore vel

vel diætæ vel regiminis, vel sub ipso partu, æstus succedit intensior, febris ipsa extenditur ad quintum vel sextum diem; in aliis vel quotidianaæ vel tertianæ intermittentis typum induens, vel plane in progressu ulteriori in catarrhalem continuam desinens, in aliis cum, in aliis sine purpuræ miliaris efflorescentia pro regimine, habituque & constitutione puerperæ variis. Et quoniam sub primo hujus febris insultu puerperæ spasticos & tensivos dolores, eosque satis exquisitos pectoris patiuntur, a summis scapulis per axillarum & clavicularum regionem ad mammas tendentes, quos hæ per similitudinem funiculi per dictas partes in mammas protensi exprimere norunt, ipseq: uterus cum abdomine post partum insigniter subsidit & constringitur, humorum & sanguinis colluvie per substantiam uteri copiose collectâ, nec simul & semel in cavum uteri effusa, sed sensim & iteratis uteri contractionibus tandem expressa, per illum interea, qui mammis cum utero intercedit, consensum notabilis sanguinis portio ad mammas ruit, has distendens, inflans, auctaque sic virtute contractili horrorem febrilem, febrim latetam, gignens, quæ quam primum lacti per mammas transitus liberior obtingit, brevi, causa hac cessante, remittit, in quam rem quoque non plane absone scribit; quemadmodum enim quilibet exoriens bubo, vel tumor, adequatum calorem febrilem in corpore ciet, ita etiam uberum protensio cum alteratione eroris conjuncta ebemeram hanc lactis producit. Job.

B

H. Car-

*H. Cardilucius in Praxi Chymiatrica, Job. Hartmanni,
a se illustrata p. m. 786.* Febris autem erysipelatodea evadit, si vel transitus sit difficilior & impeditior, aut plane gravior, inflammatoria, si intiomor & profundior tam sanguinis quam lactis suborta fuerit stagnatio.

Thes. X.

A victu pravo, cibis difficilis digestionis, chylum laudabilem non suppeditantibus, ventriculum tam cruditate & lentore, quam succi pravitate offendentibus, febres passim generari, etiam præter puerperas alii plus sæpius suo danno experuntur; puerperis igitur tale quid hoc citius usu veniet, quo magis puerperii tempore ex levissimis causis ad febres proclives sunt. Hinc recte his competit victus febricitantium, scil. parcus & tenuis, de quo Hippocrates scribit. *Si quis febricitanti cibum, nimirum sanis offerri solitum, præbeat, valenti quidem robur, egrotanti vero morbus fit,* vid. ejusd. apb. 57 sect. 7. Et optime monuit Job. *Jac. Waldschmidius* puerperas nunquam statim cibis esse satiandas, sed diætam illarum excarnem esse debere, quæ a febribus easdem præserves. vid. monita ejus practica Operibus inserta p. m. 280. Cui in hoc ipso quoque adstipulatur D. *Vit. Ridinus*, docens, puerperis cibum subtrahendum esse, quia per partus labores & sanguinis per lochia profusionem ventriculus debilitatur, hinc si cibus, vel coctu difficilis, vel nimia quantitate puerperis præbeatur,

tur in febres easdem incidere. *Vid. ejusd. Lin. med.*
Anno 1695. Mens. Mart. Obs. I. p. m. 62. Quæ Medicorum consilia & præcepta neque omni penitus ratione carent, quandoquidem per experientiam constat, gravidas tantum non omnes ratione energie vitalis, aliarumqne actionum, longe robustiores esse, ita ut duplam vel etiam triplam purgantium dosin innoxie ferant, post partum vero puerperas sensibiles admodum & longe debiliores fieri, usque adeo, ut a levissima purgantium dosi alterentur insigniter. Quare ex his demum patet, cur a levi cruditatis vel succorum pravorum stimulo in regione ventriculi & primarum viarum facile systema nervorum in puerperis in consensum trahatur, & sic ex hac causa febris excitetur.

§. XI.

In lochiorum successu legitimo, uti tota puerarum consistit salus, ac tanquam in cardine vertitur, ita ab illis parcus fluentibus, haec multis iisque exitiosis sepe symptomatibus & malis multantur? Quum enim post partum cum secundinis exclusis, & disruptis inter uterum & secundinarum placental tam vasis sanguiferis, sanguis in uteri cavum extillet lochia temperate fluentia constituens, si accidat forte, ut a subortis post partum gravioribus tormentibus, quod fit sepiissime, sanguis intra porous uteri substantiam relinquatur, facile ibidem grumescit, atque tandem ab iisdem tormentis & reiteratis spasticis uterinis contractioni-

bus grumosus, licet non sine gravi molestia, exprimitur, aut siquidem id fieri nequeat, plane lochiorum fluxum intercipit. In nulla quippe uteri cito fatiscente hæmorragia *Tese Excell. Georg. Ernest. Stablio*, puerperæ præter communia talium hæmorrhagiarum incommoda, scil. angustias & anxietates præcordiales, variisque spasticos abdominis affectus, certius, quam in hac ipsa impedita lochiali excretione, febrilium exæstuationum, imo plane uteri inflammationis & febris sic dicta inflammatoriaæ periculo exponuntur. *Vid. ejusd. Dissert. de Affectionibus Puerperarum*, qua pleræque illarum etiam affectiones intereunt. Hinc rectissime; *Lochiorum colluvies si diutius moretur in uteri capacitatem, in grumos coalescit, deinde putrescit & varia & perversa symptomata veluti ventris tumorem, strangulationem uterinam, animi deliquium, febres & ulcerationes infert* scribit. *Franc. Goel Prax. Med. Lib. VIII. Sect. IV. p. m. 495.* Quale exemplum etiam legas licet, scilicet febrem cum passionibus hystericas ex lochiorum retentione in puerpera lethalem apud *Job. Petr. Loticbum Obs. Med. lib. V. cap. I. Obs. 21. p. m. 476.* item febrem continuam ex simplici lochiorum retentione apud *Bald. Timeum a Guldenklee in Cas. Medicin. Lib. IV. cas. 34. p. m. 232.*

Thes. XII.

Ad febres ab hac causa oriundas summo quoque jure referas puerparum exanthematicas, purpuratas, sic dictas miliares, utpote communicae causæ nexus cum iisdem arcte conjunctas; testante quippe

quippe experientia febris miliaris purpurata, maxime vero alba, retentis & suppressis lochiis plerumque supervenit, potissimum ex fero lymphatico corrupto, quod febris motibus ad ambitum corporis a natura protruditur. Quanquam penitus negandum nec sit, purpuram hanc miliarem febribus catarrhalibus continua puerperarum identidem quoque succedere, quibuscum magnam ex fero vitatio cognitionem habere videtur; Interdum vero puerperas etiam invadit, ex abuso calidiorum pellentium, vel sub, vel post partum ad lochia cienda & promovenda adhibitorum, imo saepius a sudorum sponte fluentium, puerperis nec insalubrium, subito tamen suppressorum retentione generari, utpote quibuscum serum vapidum ad excretionis universalis organum, glandulas subcutaneas, propulsum in ambitu corporis haerens acrimoniam contrahit, purpuramque primam rubram, in progressu vero albam, gignit, quae postrema quoque non leve majoris corruptionis & putredinis indicium praebet, quandoquidem purpuram albam per plures annos juvenculam, nec infimae fortis feminam, plus tribus quatuorve vici bus foetus tam abortivos, quam mortuos enixam & nunquam sufficientibus lochiis rite purgatam, ale vissimis causis febrilibus purpuram albam constanter invasisse, indeque hanc cachecticum corporis habitum, ventris inflationem & uteri intumescientiam perpetuam retulisse testis est Clarisf. Dn. Praes.

Quo certius ergo febris ex retentione lochiorum puerperas invadit, hoc gravior semper haec erit, si plane cum deficientibus lochiis secundinæ retineantur, ac in utero putrefcant, adeoque a dupli causa sanguina febris sic dicta putrida oriatur, quæ uti ex solius putredinis stimulo & acrimonia systemati nervoso est infensissima, ita mirum non est, si funesta plerumque secum ferat symptomata, scilicet, cum febre acuta, praecordiorum anxietatem, lipothymiam, respirationem difficilem, epilepsiam; Imo licet subinde accidat, lochia, febre etiam praesente acuta, nihilominus fluere, id tamen aliunde derivandum non est, quam a gravi simul interna uteri lesione, quæ, uti in quacunque nervea parte externa inflammationem cum febre coniunctam infert, ita tanto majori cum periculo ab utero intrinsece vulnerato febris inflammatoria erit metuenda, succedentibus pravis symptomatis funesto exitu desincens brevi temporis intervallo in mortem.

Thes. XIV.

Eandem porro lochialem, puerperis summe necessariam, excretionem æque subito ac periculose fistit quodlibet frigus actuale, a puerperis vel ex aëre externo frigido, vel cum potu frigido vel indufisis & vestimentis etiam improvide suscepimus; Etenim uti mensis naturaliter fluentes vel a portu nimis algido, vel a causa quacunque externa, pedes

pedes in primis refrigerante, subito subsistunt, cum succedentibus gravissimis symptomatibus, quale exemplum allegatum legas apud Job. *Jac. Walschmidium in Colleg. Med. Pract. ad Cas. Medicinales Tim. a Guldenklee Oper. Med. Pract. p. m. 531.* Ita puerperis post peractos partus labores, fortiter sepe incalefactis, frigus, sive ambitu corporis, sive utero hianti, sive potu algido improvide suscepit, hoc magis infensum est, quo præ omnibus sexus sui individuis aliis haec semper longe sensibiores sunt, & pedum refrigerationem impune nunquam ferunt. *Conf. Ephem. N. C. Dec. II. A. VIII. Obs. CLXXIV. p. m. 330.* Hinc ergo sanguis in ipso utero facile coagulatur, lochia supprimuntur, uterus factio infarctu intumescens incalescit, graviter tota ejus textura tenditur, adeo, ut mirum non sit, a spasticis ejus particularibus strictris, totum nervorum vasorumque sistema iritari, atque sic febrim vel acutam vel plane inflammatoriam presso pede sequi, id quod in exemplo legas licet apud *J. Jac. Walschmidium in Colleg. Med. pract. ad Cas. Medicin. Tim. a Guldenklee casu XXXIV. Oper. Med. p. m. 567.*

Thes. XV.

Quanta vehementiorum animi pethematum ex solo motuum excessu in corpora humana vis & efficacia sit, Medicorum fugit neminem, multoties enim in Praxi quotidiana experiuntur, a nimia iracundia, vel etiam terrore gravi, subito incusso, homines utriusque sexus, cuiusvis ætatis, cæteroquin sanos, fieri ex improviso epilepticos.

Quam

Quum vero sub iracundiae affectu fluidis omnibus ab intensiori solidorum actione motus plane effrenes imprimentur, sit, ut ruentia ad uterum non secus ac summa copia uterum infarcent, stasin febrilem facillime pariant. In terrore autem, habitu corporis externo constricto toto, sanguis ad interiora cum vehementia cogitur, quod siquidem uteri statui post partum applices, aliter evenire nequit, quam ut ab impetu humorum ad uterum ruentium lochiis exitus praeccludatur, unde similiter febris exoriatur necesse est. Quibusvis hinc puerperis iram noxiā esse dudum advertit. *Nicol. Tulp. Observ. Med. Lib. II. Obs. 2. p. m. 106.* Ex terrore autem lochia suppressa convulsionem & mortem induxitse notatum legas. in *Eph. N. C. Dec. II. A. V. Nbf. CCXXII. p. m. 449.* Quarum rerum ratio quoque hoc clarior semper est, quo Practicorum alii passim toto fere die observant, puerperas congestionibus sanguinis, ad caput maxime, obnoxias esse, & frequenter ex teneritudinis statu fieri epilepticas. *Conf. Job. Jac. Waldschmidium in Monitis practicis. Operum Med. Practicorum p. m. 280. & Celeberr. Frid. Hoffmannum Medicin. Consult. P. IV. Cas. V. p. m. 280. it. Eph. N. C. Dec. III. A. II. Obs. C. p. m. 126. 127.*

Thes. XVI.

Consideratis haec tenus febrium, puerperas infestantium, causis variis, reliquum est, ut ad signa cum diagnostica tum prognostica, tandemq; metho-

methodum medendi nunc progrediar. Signa ergo febris lactea, partim a statuto tempore, quo lac in mammis colligi solet, partim ab ipso mammarum statu & sensu petuntur, suntque sequentia, horror febrilis non adeo vehemens, nec postmodum, si ephemera fuerit, recurrens; si vero ephemera plurium dierum sit, per tres quatuorve dies horror reddit, tandemque naturae beneficio blando calore & sudore febris sponte solvitur. Patiuntur interea puerperæ sensum mammarum punctorum, dolorem, duritiem & calorem cum gravitate dorsi & scapularum, quibuscum sufficiens sanguinis puerperialis excretio continuat, hisque signis febris lactea ab aliis febrium speciebus vere distinguitur. Si vero latius extendatur, vel alium induat typum, vel in catarrhalem plane continuam abeat, tantum abest, ut lactis secretio promoveatur, ut lac potius a continuo calore exarescens consumatur, pluraque graviora febrium symptomata v. gr. calor sitis, inquietudo, virium languor, vigiliae nimiae cum lochiorum partiali vel tali defectu superveniant.

Thes. XVII.

Signa febris acutæ continuæ a lochiorum secundo vel tertio post partum die retentione supervenientis, præcipue si lochia post quartum diem, quousque sinceri sanguinis excretio plerumq; durat, non redeant, sunt sequentia horror, vehementior, præcordiorum anxietas, dolor lumborum,

C

rum,

rum, ventris inflatio, febris intensior, calor aridus & siccus, agrypnia, delirium similiaque plura febrium acutarum symptomata, quæ tamen lochitis tempestive revocatis mitescunt, ac cum febre tandem remittunt. Febris autem putridæ a lochiis non tantum, sed secundinis simul retentis exortæ, cruore inprimis in utero retento & putrescente, signa obseruantur calor & anxietas longe major, ac in præcedenti, pulsus celerior & vehementior, urina crocea, rubea, sitis ingens, lingvæ siccitas perpetua, capitis dolor, virium debilitas summa, animi deliquium, aphonia, ichor ex ute-
ro impuro manans foetidus, putredinalis, tandemque mors. Febris autem inflammatoriæ ab ingenti uteri vulneratione, vel laceratione sub partu laborioso productæ, signa cum reliquarum febrium inflammatoriarum signis convenient, exserit scilicet se horror plus minus gravis, quem excipiunt calor & astus intensissimus, aurium tinnitus, vertigo, tendinum colli, digitorum convulsio, muliebri m locorum & lumborum ardentes dolores, dígito uteri ori interno admoto, occurrit hoc durum, fervidum, retractum, maxime si in orificio interno fuerit inflammatio, uteri posterori parte inflammata, affligit maxime dolor lumborum ac spinæ dorsi, anteriori vero dolor pubem occupat cum urinæ difficultate, lateralibus partibus inflammatis inguina tenduntur, crura gravantur, ægre moventur, & quibusdam crus ipsum, quod e regione inflammationis est, per incessum

claudicat, fundo uteri inflammato dolor sub umbilico est intolerabilis, ut manum vix imponere liceat. *Vid. Petr. Foresti Observat. Med. Seçt. III. Lib. XXVIII. Observ. XLI. p. m. 687. 688.* cuius febris exemplum descriptum legas apud *J. Jac. Waldschmidium in Casibus practicis Oper. Med. Cas. LXXIV. p. m.*

233. 234.

Thes. XVIII.

Prognosis pro febrium differentia, vehementia symptomatum, causarumque gravitate maxima, mope variat. Febris lactea per se periculo caret lochiis in primis rite succedentibus, nulloque errore, vel sub partu, vel primo puerperii tempore, a puerpera vel adstantibus commisso, statu corporis & animi potius quieto & tranquillo existente. Ubi vero quicquam alieni & insueti acciderit, febris haec subinde in plures dies ad quartum, imo sextum protrahitur, tumque Medentis opem possit. Febris quaelibet cum lochiorum retentione conjuncta, periculo nunquam vacat, plerumque puerperæ incidunt in delirium cum intensissimis calore & anxietatibus. Hinc recte *Hippocrates* jam pronunciavit; *Mulieri cui lochia post partum non fluunt, gravis supervenit morbus, si vero eorum fluxus aptis quam citissime non promoveatur remediis, vita discriben incurrit puerpera, Vid. Hippocratis Libr. de natura pueri.* Non minori quoque periculo conjunctæ sunt febres exanthematicæ, purpura præsertim alba, cum totali puerperialium defectu conjuncta, & calidioribus reme diis tractata, a quibus febrisgraviter

exacerbatur. Febres putridæ & inflammatoriae plerisque puerarum lethales sunt, qua de causa etiam hæ posteriores pestis audiunt puerarum. Et licet prostant observationes unius, vel alterius pueræ, secundinis in pus & saniem conversis & sensim excretis, vitæ periculo feliciter aliquando defunctæ, inter centum tamen vix duas numerare licet, quæ in vivis servantur, reliquis fato in evitabili pereuntibus. Suntque hæ febres vel ideo puerperis perniciosiores, quo vires illarum ex partus laboribus insigniter jam sunt fractæ, ut tanto citius natura succumbat, febresque hæ brevi temporis intervallo, quod proprium illarum est, puerpas necent.

Thes. XIX.

Curatio prædictarum febrium varia adornanda, pro causarum diversitate, primarius tamen Medentis scopus eo semper dirigatur oportet, ut causam febribus inducentem, quantum penes illum sit, rite auferat, qua sublata, simul tollitur & curatur febris. In febre ergo lactea, quia sepius febrilis moliminis causa ipsâ febre diaria lactea, adeoque naturæ viribus, auffertur, raro Medico aut remedis opus est. Ubi autem febris in plures, quinque vel sex dies, protrahitur, Medici omnino opem efflagitat. Conveniunt autem mera dia-phoretica fixa, cum nitro blandissime remixta. v. g. CC. f. igne ppt. Ocul. canc. ppt. Matr. perlar. ppt, antim. diaph. rec., pulv. bezoard.

Ludo-

Ludovici vel Sennerti albus ad grxvj cum nitri grvj
vel vjj pro dosi datis, quibus si cinnabarim nativam
vel gjj. ad grijj. vel specif. cephal. D. M. eadem dosi
addideris, tanto efficacius febrilis fomitis discussi-
onem sperabis. Dentur tales pulveres quotidie
mane & postmeridiem in aquis leniter diapnoicis,
tepidiusculis, non frigidis, v. gr. aqv. carduibend.
scabios. ceras. nigr. fl. sambuc. scord. fenicul. chæ-
refol. vel in infusis theæ vel veronic. fl. chamæmel.
& similibus cum aliquot guttis ess. pimpinell. alb.

Thes. XX. Febris a vietu pravo & inconvenienti exorta,
emendata tempestive vietus ratione, haud difficul-
ter curabitur, subjunctis ad primarum vitia & cru-
ditates corrigendas salibus blande incidentibus &
digestivis, ut crem. tart., tart. solubili, tart. vi-
triolat, nitrato, terra fol. tart. sal. essentiale ab-
sinth. cent. m. in refracta dosi cum pulveribus
absorbentibus datis, aut arcano. tart. liquido, vel
salibus praedictis in aqv. fol. acac. fenic. sambuc.
aliisque solutis & guttatum exhibitis. Evidem ab
aliis hoc fine commendari novi leniter evacuantia
pulpam. cassiae, rad. jalap. cum tart. vitriolat. in jus-
culo calido, syr. ros. fol. solut. &c. danda; Verum prater
Tart. solubilem quæcunque purgantia, maxime re-
finoſa, mihi videntur ſuſpecta. Potius alvo primis
quatuor diebus clausa exiftente, quod non paucæ
fine noxa alias ferunt, emolliens clyſma in
uſum vocetur, poſt unum alterumve diem, nec-
eſtitate etiam exigente, reiterandum. Interea Medi-

C 3 cus

cus sedulo respiciat fluxum lochiorum, qui siquidem naturalis fuerit, nihil mali unquam metuendum erit.

Thes. XXI.

In febre ex lochiorum fluxu turbato vel plane subsistente oriunda, quantocuyus lochiis revocandis & promovendis invigilet Medicus, quod ipsum tamen non nisi magna cum circumspectione & iudicio efficere tentabit; quippe in tali casu non solum lochiorum retentionis, sed simul febris ratio medenti habenda est. Quare ne lochiis pellendis intentus febrim augeat, vel exacerbet, aut febrim mitigando lochiorum fluxum impedit, fugiat necesse est, quævis nimis activa remedia, maxime in subiectis plethoricis & sanguineis. Remedia vero lochia promoventia passim laudantur varia (1) per alvum leniter evacuantia (2) lochia & partum pellantia. (3) V S. in pede. Evacuantia licet subinde non absque successu contra febrim dentur, & ex communi Medicorum sententia quævis alvum moventia simul uteri excretionem stimulent, vitanda tamen sunt quælibet acria resinosa, æstuosa purgantia, puerperis noxia, & hinc multis nominibus mihi valde suspecta. Imo licet ab aliis manna, pulpa cassiae, pulvis jalappæ cum tart. vitriolato, rhabarbarum, folia sennæ Syr. ros. solut. puerperis commendentur, iis tamen promiscue utendum non est, quoniam non omnes puerperæ dulcia itemque purgantia æque sine noxa ferunt. Et nunquam in validis febribus purgantia medicamenta offerre convenit, docente Hippocrate in fragmentis

de

de purgantibus, quorum mentio fit in Lib. Hippocratis de affectionibus. Omnibus ergo his præferas licet pilulas balsamicas D. Stahlii cum nitro & diaphoreticis fixis mixtas, ac a primo lochiorum subsistentium momento in juscule calido, vel infuso fl. fambuci, veronic. datas, quæ quo maturius usurpantur, hoc meliori effectu lochia revocabunt. Et quo major intentio fuerit lochiis ducendis, dosis pilularum sit magis aucta, quo vero major ratio febris habenda sit, dosis illarum sit parcior, absorbentium vero & nitri paulo largior. In aliquibus, nisi febris obstat calor intensior, pilulæ prædictæ cum pulvere Dominarum ad gr. vii. ix. x. tuto etiam exhibentur.

Thes. XXII.

Lochia alias pellentia, ut aloëtica, myrrhata, crocata, succinata, castoreata, hic exulent omnia, quia valde æstuosa sunt & febrim magis accendunt; ex quo capite etiam nullum plane locum hic habent spirituosa volat. quævis v. g. spir. corn. c. Sp. sal. ammoniac. spir. secund. hum. salia volatilia oleosa, olea quævis destillata succini, sabinæ, pulegii, melis. cumini, carvi &c., quorum usu incauto & temerario lochia non tantum magis suppressa fuisse, sed & febrim ex lochiorum retentione exortam in inflammatoriam degenerasse tristia pasim exempla dudum confirmarunt. Horum igitur loco topica resolventia potius fadenda veniunt, v. g. empl. de bacc. lauri. empl. de galbano crocat. Mynsicht, vel ejusdem empl. diaphoret. cum oleis de stillatis

stillatis succin. puleg. menth., earvi, cumini, zedoariæ malaxata, & ventrri tepidiuscule imponenda; vel linimento ex oleo anethi, expr. oleo destill. aneth. cumini, bacc. lauri mixto venter calide inungatur, aut fæculis ex herbis uterinis, nervinis, aromaticis, vel siccis in vino coctis & expressis calide blande foveatur; quorum omnium virtus maxima est in impediendo sanguinis coagulo, & lochiis placide ciendis. VSectionis utilitas multis dubia, aliis vero eximia & plane congrua videatur, dubia illis, qui putant, illius administratione lactis generationem intercipi, his autem congrua, qui fluxum lochiorum hac celebrata feliciter plus sæpius revocatum fuisse ad experientiam provocant. Me, quod attinet, Medico mature ante tertium vel quartum a partu diem advocato, puérpera existente plethorica, juvencula, viribus fatigatis adhuc robusta, nec febris impetu graviter dejecta, VSnis usum, & quidem in pede, nunquam improbarem; Ubi vero serius advocatur, sincero sanguine non amplius per uterus fluente, puérpera itidem admodum jam debilitata, ab eadem non sine causa abstinentur merito censeo, re tota sub blandiorum diaphoreticorum fixorum alexipharmacorum & cardiacorum usus folius naturæ robori penitus reliquâ.

Thes. XXIII.

In febribus exanthematicis non secus, ac in aliis catharrhalibus transpiratio temperatissimis alexipharmacis & diaphoreticis fixis servetur libera,

bera, studiose semper vitato aëre externo frigido,
habitoque respectu probe ad lochia, quorum suc-
cessus nunquam negligendus est; testatur enim
Celeb. Frid. Hoffmannus, fē multoties puerperas ex
lochiorum suppressione febricitantes, imminentे
& jam efflorescente purpura, VSne, feliciter
instituta, ex orci faucibus eripuisse, atque in ple-
risque ex lochiorum suppressione decedentibus
causam mortis in neglectum VSnis rejiciendam
esse. *Vid. ejusd. Dissert. de purpura genuina orig.* &
Indole §. LVII. p. m. 51. 52.

Thes. XXIV.

Præter lochia vero suppressa medenti simul curæ
erit ad febrim probe reflectere & puerperas antife-
brilibus mature succurrere, qualia sunt blanda
quævis alexipharmacæ & diaphoretica fixa, effica-
citer subortas uteri itasæ discutientia. v. g. ant.
diaph. rec. Bez. miner. ocul. canc. ppt. spec. ceph.
ppt. D. M. C. C. f. igne ppt. chor. f. igne ppt.
dens Hippopotam. pulv. bez. Ludovic. pulv. Sen-
nert. alb. lap. Bez. orient. cinnab. nativ. & antim.
quorum unum vel plura cum nitro commixta
pro dosi ad scrup. j. bis vel ter de die exhibeantur,
vel in decoct. hordei leviter cinnamomato vel de-
coct. cort. Citr. Mynsicht. vel in infusis calidis
theæ, veronic. hormini vel in aquis blande diapnoi-
cis scabios. capill. vener. carduebened. fl. sambuc.
fl. lavendulæ. chærefol. scordii alisque jusculis
tenuibus gallinarum, caponum, insulsis, parum vel

D

nihil

nihil aromatisatis, quibus omnibus puerperam in
blanda & æquali semper diaphoresi servasse & ejus
& medentis intererit plurimum.

Thes. XXV.

Puerparum febre putrida ex secundinis in
utero putrescentibus vel utero ipso, vel ex parte
putredine jam infecto, vel febre inflammatoria
decubentium status plerumque deploratus esse
solet, omni scilicet medicina major, quævis etiam
efficacissima remedia respuens, quare pleraque
illarum moriuntur. Spe autem excernendarum se-
cundinarum aliqua adhuc affulgente præter supe-
rius lochia pellantia jam commendata chærefoli-
um romanum & semper vivum majus in jusculo
cocta commendentur, quorum vires cæteris præ-
stantiores longe prædicantur ab A. H. Cumeno vid.
Theopb. Bonetti Medicina septentrionalis Lib. IV. Sect. IX.
Obj. VIII. p. 122. vel detur hepar angvillæ cum felle
exsiccatum in pulvere pro dosi ad 9. i. c. aqua puleg.
meliſſa verbena vel leonisim vel cum aliis theſ. 21,
jam præscriptis. Febris autem inflammatoria ubi
ultra modum non plane jam invaluit, poscit
VSnem in pede, eamque quantocuyus celebrandam
puerperâ tamen viribus satis adhuc valente, post
quam præmissa quævis theſ. XXII. commendata
antifebrilia & alexipharmacæ in usum ducantur,
ad febrim mitigandam & discussionem staseos pro-
movendam.

Thes.

Thes. XXVI.

In febre, a lochiis frigoris admissi culpa subsistentibus illata, puerpera sine mora blande calentibus stragulis in lecto foveatur, plantis pedum suppositis asteribus, vel lapidibus incalafactis hauftis statim infusis herbarum convenientium theiformibus variis, vel jusculis calidis tenuibus affatim sumptis, cum una vel altera blandorum diaforeticorum pulverum dosi, donec vitium uteri a sanguine grumefacto contractum debite correctum, & febris mitescere, vel plane remittere incepert. Ubi vero febris gradus levior adfuerit, detur quoque sperma ceti recens ad 3 fls. vel 3j. facchari tantillo subactum in juscule admodum calido vel decocto avenaceo tenui, quod multis laudibus extollunt *Timeus a Guldenklee & M. Etmultenus.*


Thes. XXVII.

In febre cum lochiis suppressis ab animi gravioribus pathematibus exorta, quovis modo animo quantocius placato antiipaftica cinnabarina & absorbentia cum nitroſis debite mixta, impeſum motuum insigniter demulcent, quibus ad lochia ſimul revocanda ſupra theſ. XXI. memorata blanda pellentia ſi addideris ſcopo & fauſto ſucceffu non facile frustraberis. Viētus præterea in omnibus his puerperarum febribus ſit dilutus & tenuis, maxime primis quinque vel ſex puerperii diebus, conſtant ex ptifana hordeacea, jusculis pullorum, gallinarum, caponum, carnis vitulinæ

agninæ

agninæ tenuibus, actu calidis ac corroborantibus non salitis, nec fortiter, nisi tantillo florum macis, aromatisatis. Vinum pro gradu febris intensiori nunquam præbeatur, in aliis vero vini usui adsuets, nec graviter febricitantibus, modica quantitas per se, vel cum decocto C. C. vel aquis analpticis diluta non nocebit. Alvis primis quatuor puerperii diebus utcunque clausa, sequentibus necessitate exigente clysmate emolliente subducatur. Animus puerperæ, quantum penes illam & adstantes fuerit, constanter pacatus & tranquillus servetur & nunquam multarum rerum curis distractus, sed prorsus ab his liber, & quietus sit.

F I N I S.



DA A 6545




Sb.

V D 18

V D 17

B.I.G.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

FEBRIBUS PUERPERARUM,

QVAM
AUXILIANTE DEO T. O. MAXIMO
ET
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN REGIA VIADRINA CONSENSU

SUB PRÆSIDIO
DN. JOH. GEORG. à BERGEN,
MEDICINÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS
PUBL. ORDIN. p. t. FACULTATIS MEDICÆ
DECANI,

PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES, INSIGNIA
ET PRIVILEGIA DOTORALIA RITE IMPETRANDI
Ad diem XXVII. Febr. A. MDCC XXXIII.
IN AUDITORIO MAJORI
Publice ventilandam proponit
AUCTOR ET RESPONDENS
FRID. WILHELM. PRÆTORIUS,
Regiomont. Neomarchicus.

ERANCOFURTI AD VIADRUM,
Literis TOBIÆ SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.